





4

RATIO  
LABORVM  
SCHOLASTICORVM  
IN GYMNASIO FREIBERGENSI  
AD HVC SVSCEPTORVM  
SVB IPSA AVSPICIA  
PVBLICAE LVSTRATIONIS  
PATRONIS ET FAVTORIBVS  
EXPOSITA  
a  
M. IO. GOTTLIEB BIDERMANNO  
RECT.

---

FREIBERGAE

Litt. CHRISTOPH. MATTHAEI,

IV.

**O**perarum scholasticarum lustrationem bis quotannis instituendam, tantum abest, ut pro consuetudine heri vel nudius tertius recepta habeamus, ut potius ab ultima hominum litteris operantium aetate illam repetendam esse, existimemus. De Iudeis enim TALMUD haec refert: a) in sabbathis mensium Adar atque Elul (quibus in nostris fastis Februarius et Augustus respondent) omnes scholarum classes coram rectore, in eleuato sug- gestu sedente, congregantur; ubi unus ex unaquaque classe discipulus sonora voce ea recitat et exponit, quae in elapsu semestri in hac classe perstrata fuerunt, reliquis condiscipulis altissimum silentium obseruantibus. Facta autem bac recitatione, rector unumquemque examinat, et cuique dat facultatem, libere respondendi, ad mentem suam absque ullo timore declarandam. Absoluta bac exploratione, rector de omnibus ac singulis fert iudicium, optimosque in litteris praे aliis pro- uectos laude et promotione dignatur, nulla neque parentum neque diuinarum habita ratione.

Quo antiquiorem igitur et laudabiliorem hunc morem esse, intelligimus, eo alacrius nos eum sequimur, quibus prouincia est commissa, iuuentutem virtutibus et artibus in hac sapientiae officina religiose fingendi et formandi. Et quoniam initium publicæ huius studiorum explorationis eo temporis interuallo fiet, quod in fastis ineuntem autumnum nobis indicat: auspicio omine hoc contingere, persuasum habemus. Quemadmodum enim haec anni pars à pictoribus cum cornu copiæ, spicis, pomis atque vuis referto representatur: ita haec messis litteraria testatum faciet, quos diligentiae fructus collegerint disciplinæ nostræ alumni. In primis autem Cereris et Bacchi muneribus autumnum adfluere, et nos sensibus percipimus, et auctores, quibus vtimur, uno fere consententur. Namque HOMERO ille audit

- - 9a.

Tract. Iuchafin. p. 104. 125.

—, —, —, Παλύτες ὅπωρην πίσσιν εὐκατάς γίνεται  
πάντη ὡς κατὰ γενὸν ἀλάτης ὄντος τέλος  
φύλλων κεντρικένον χθαμαλός Βεβλήστας ἔντα. b)  
VIRGILIUS autem ita eum describit: c)  
et varios ponit fetus autumnus, et alte  
mitis in apricis coquitur vindemia faxis.  
Iisdem fere coloribus HORATIVS depingit: d)  
distinguit autumnus racemos  
purpureo varius colore.  
Eadem mente ab OVIDIO appellatur calcatis sordidus  
vnis. Cum quo LVCRETIVS consentit, canens: f)  
vites autumno fundi suadente, videmus.

Videbunt igitur etiam nostræ scholæ Patroni atque Fa-  
tores, ad quam maturitatem peruerenter fructus eorum, qui  
cum fideli institutione, tum beneficiis singularibus in hoc  
Musarum viridario fruuntur. Præceptores certe et magi-  
stros nihil eorum prætermisſe, quae ad pietatis et diligen-  
tiæ officia pertinere videbantur, ex iis laboribus intelligemus,  
quibus singuli per semestre hoc spatium defuncti fuerunt.  
Et quidem

M. IO. GOTTLIEB BIDERMANN, Rector,

Principia doctrinæ Christianæ, duabus per  
hebdomadem horis exposuit, tres priores fidei articulos ita  
persecutus, ut dictis, quæ vocantur, classicis, singula capita  
explicaret, probaret, et neruis idoneis confirmaret.

Historiam ecclesiasticam singulis Saturni diebus, Summario  
Rechenbergiano vñus, tradidit, et, absoluta nuper V. T. peri-  
odo, ea est ingressus, quæ Noui Foederis aetate gesta sunt  
in ciuitate christiana.

Linguæ Hebraicæ excolendæ expeditissimam viam mon-  
strauit,

b) Odyss. A 191. sqq. c) Georg. II. 521. d) Carm. II. od. V. 3.

e) Metam. L. II. Fab. I. 29. f) I. 176.

strauit, Starckio lucem praferente. Ut vero doctrina ipso  
vsi confirmaretur, eum praeceptis grammaticis contulit codi-  
cem diuiniorum litterarum cum resoluendum tum explicandum.

Ad culturam Graeci sermonis publice Plutarchi Librum de  
educatione puerorum, et Hesiodi Opera et Dies adhibuit,  
priuatum vero Theognidis Sententias explanavit, et imitan-  
do applicauit.

Latinisti expoliendae Virgilium, Horatium, et Velleium  
Paterculum destinauit, perpetua imitatione exprimendos.  
Præterea duo stili exercitia singulis hebdomadibus calamo  
excipienda proposuit, et elaborata emendauit.

Vt vero non solum sapere, sed etiam fari discenter auditi-  
tores, Oratoriae artis præcepta ex Compendio Omeisiano  
instillauit, et cum Latinis tum Germanicis exercitiis, singulis  
diebus Mercurii institutis, ea in succum et sanguinem conuertit.

Ex Poësi graeca latina et vernacula singulis hebdomadi-  
bus certa penta proposuit, pro gustu et captu discentium  
elaboranda.

Et, ne ignari essent eorum, quae publice nostra aetate  
geruntur, priuatum litteras publicas, Lipsiae sermone Latini  
prodeuntes, prælegit, explicauit, et adhibitis tabulis ge-  
ographicis illustrauit.

Ex quo accessit, quatuor, et quod excurrit, mensium spatio  
quadraginta alumnos in scholam recepit.

M. IO. ANDREAS LVTHER, *Conrector*,  
*Die Lunae hor. VI.* mat. post preces publicas et lectionem  
bibliorum, præcepta Grammaticae Graecæ ad ductum Welleri  
inculcat, et eius ad methodum hor. VII. N. T. analysis insti-  
tuit eum obseruationibus philologicis, pro auditorum captu.  
Hor. I. disciplinas *Mathematicas* ex Hederichii *Introd.* in sci-  
entias Mathem. explicat.

*Die Martis Hor. VII. Logicae* præcepta ex Sam. Grosseri  
Pharo intellectus tradit. Hor. I - III. exercitia stili graeci et  
latini, tam in prosa quam in versu. instituit.

Die

*Die Mercurii*, hor. VI. in explicanda *Cellarii Hist.* antiqua, media, et noua, ac perpetua introductione in optimos quosque omnium aetatum historicos, occupatur: hor. VII. *Cornelii Nep.* Vitas excellentium Imper. interpretatur: hor. I. *Officia Ciceronis* exponit: hor. V. explicationem Histor. Celiarianae continuat.

*Die Iouis* Lectionem Logicam, vt die Martis, repetit.

*Die Veneris*, finitis sacris, *Libros* ecclesiae nostrae *Symbolicos* dilucidat. Hor. I.-III. Exercitia stili, vt die Martis, vrget.

*Die Saturni*, hor. VII. Nou. Test. graec. cum praeceptis Grammaticae Wellerianae enucleat.

Priuatum Epistolas *Ciceronis* vel *Buchneri* praelegit, *Heiccei* Fund. stili cultioris interpretatur; *Iuslini* historiam explicat, prima *oratoriae* elementa, quae ad periodum concinnam pertinet, tradit, tironesque breuiter dicendo exercet aliquando, *Historiam* ad ductum *Hübneri* pertractat, Arithmeticam exercet, exercitia stili emendat, geographiam dilucidat, et, quae ad prosodiam pertinent, explicat.

M. IO. AVG. HARTZBACH, Colleg. III.

In superioribus Classibus, absoluto *Ouidii Metam.* Libr. X. ad XI. progressus est cum mythologiae enucleatione et poëticarum phrasium applicatione ad versus sententiosos. In *Historia litteraria*, praeente *Heumanno*, quae de librorum notitia tradenda erant, pertractauit, et ad Cap. VI. §. 30. peruenit. *Terentii Fabul.* Heautontim. vsque ad Act. III. Sc. 2. exposuit, et ad finem cuiusvis scenae notas didacticas adiecit. *Hebraicas linguae* tirones Etymologiam *Starckii* docuit.

In inferioribus classibus ex *Hutter Comp.* Loc. I. et II. explicauit, et quaestiones potiores ac memoriae mandandas dictis sacrae scripturae illustrauit, neruo probandi ex quo uis dicto demonstrato. In *Historiis Fabricianis* a CIV. vsque ad CXIV. progressus est. Dista Noui Instrumenti, in aureo Hutteri Compendio adducta, duce *Koebero* ex Loc. XXI - XXV. ex-

plicationibus etymologicis aequae ac syntacticis ad finem perduxit. *Poëtico Lat.* exercens, regulas in Langiana Gramm. de Syllabarum quantitate obuias, theoretice atque practice illustravit. Exercitia elegantioris stili, per singulas hebdomas dictata, et vel graeco, vel latino, vel germanico, iam libero, iam adstricto sermonis cultu exornanda emendauit.

Priuatim Hofmanni Compositionem Latinit. Feindi Sententias, Catonis Disticha, et Breuiarium Eruditio[n]is explicauit.

IO. FRIEDR. DOLES, *Coll. IV. et Cantor,*

Ex *Langii Gramm.* Lat. in explicandis regulis etymologicis per hoc semestre à p. 4 vsque ad 53. progressus est: in regulis Syntacticis autem à p. 130. peruenit ad p. 192. *Colloquia Langiana* persecutus est vsque ad Decur. VII. *Epistolas Ciceronis selectas* tironibus explicauit, earumque xxviii. absoluit.

Priuatam operam iis nauat, qui arti voce ac fidibus scite canendi seruunt.

GODOFRED. GEBHARD, *Coll. V.*

Caput. I. *doctrinae christianaæ*, quod in catechismo B. Lutheri agit de X. praeceptis, pertractauit, et dictorum bibliorum, quaestionibus Enchiridii Dresdenis subiectorum, tria minimum hebdomadatim edisci à pueris memoriterque recitari curauit.

In *Grammatica Lat.* regulas generales Syntaxeos propinauit, idoneisque exemplis illustravit. Ex *Colloquiis Langianis VII.* Decurias absoluit.

Singulis etiam septimanis bina proposuit tironibus exercitiola, alterum latinum, in vernaculam, alterum germanicum, in latinam linguam transferendum, quae vel regulam certam syntaxeos, vel colloquium enucleatum respiciunt: cuius post emendationem tirones nonnulli pensa, sepositis libris, recitare iubentur.

Priuatim Etymologiam Gramm. Lat. ad finem perduxit: et in primis rationem flectendi et tempora deriuandi docuit.

Sin-

Singulis etiam septimanis pensum aliquod ex Vestibulo Lat.  
(Berol. 1729) tabulae inscriptum ad etymologiae et syntaxeos  
praecepta pueris exposuit, eiusque deinde versionem germanicam  
emendauit: pensum vero translatum et emendatum à  
prooectionibus memoriter recitari solet, ut vocabula et phra-  
ses eo tenacius memoriae adhaerescant. Quo facto, imitatio  
subiungitur.

*Feindii* etiam sententias Lat. semel per septimanam exponi  
et recitari curauit. Historiis quoque sacris, quae *Hübnerus* ex  
S. S. elegit, *Krigelius* Latinitate donauit, aliquantulum temporo-  
ris tributum fuit. Ad fidei christianaee clementa imbibenda  
vsus est *Christoph. Starekii* libello, ita, ut post dogmatis  
cuiusvis expositionem dicta probantia ex S. S. voce clara, iterata-  
que vice, ab uno alteroue discipulorum legantur.

#### IO. GOTTFR. FRITSCHE, Coll. VI.

absoluit IX. decurias ex *Florilegio Germanico-Latino* Senten-  
tiarum prouerbialium, nempe à LV.-LXII. etymologice expli-  
catas, vocabulis memoriae impressis. Etymologiam et regulas  
Syntax. Lat. cardinales explanatas exemplis illustravit; et tiroci-  
nium paradigmatis ad declinandum et coniugandum perfecit.  
Ex *Commenti Vestibulo* sententias et Vocabula excusit. Magnif.  
Nostri D. *Wilischii Iagogen catechetica*m ad biblia salutariter  
legendam inculcauit. Psalmos Dauid. I. XV. XXVII. XLII. XLVI.  
LIII. XC. praemissa breui explicatione recitando curauit.  
Litteras etiam pingere suae curae commissos docuit.

#### IO. ABR. FRIEDHELM, Succendor,

Prima ex *Rhenii Donato* elementa tironibus instillat, eosque ad lectio-  
nem Noui Test. adducit. *Hübneri Historias Biblicas* explicat, et versus  
subiunctos memoriales recitari iubet. *Psalterium* et pericopas euange-  
licos atque epistolicas praelegenda curat. *Lutheri* autem vtrunque  
*catechismum* diligenter examinat. Tandem etiam

#### COLLABORATOR

certis per dies singulas horis operam suam informandis pueris impen-  
dit.

Sit, et cum iis iam litterarum prima elementa exercet, iam syllabas iungere eos docet, iam vocabula Latina expiscatur.

Ex his igitur diurnis scholae nostrae operis diiudicabuntur alumni litterarii, eorumque profectus publico examine explorandi. Cui ut benevolē et praeesse et interesse, PATRONI, et cum dōcentes tum discentes praeferentia Veftra excitare velitis, obseruantur rogo. Post hymnum decantatum Vos musaeum superius ingressos, e cathedra excripet iuuenis generosissimus

HANS DITRICH GOTTLLOB de WOLFERSDORF,  
Eques Mifn.

et totius scholae nomine gratias Vobis aget breuissimo carmine germanico, quod nouo hoc documento declareris, quo loco scholam nostram habeatis. Quo facto, ipsa lustratio per singulas classes instituetur.

His laboribus finem Actus Oratorius imponet, sequenti *Veneris die*, peractis ante meridiem sacris, insituendus. Quo vires periclitabuntur

CHRISTOPH SCHMIDER, Hilbersd. Mifn.

sermone Latino, Genuam tanquam Pomum Eridos antiquissimum repreäsentaturus.

GODOFRED. HAMAN, Luckewald. March.

idiomate Hebraico axioma illud politicum persequetur: *Nulum imperium est satis tutum, nisi benevolentia ciuium munitum.*

SIGISM. RVDOLPH. VLBRICHT, Sorgens. Mifn.

lingua graeca veterum Graecorum certamina litteraria cum publicis nostrarum scholarum examinibus comparabit.

IO. SAM. MVLLER, Schirma - Mifn.

Oda Lat. Alcīca Germaniae, inter armorum strepitū, litteris mirifice efflorescentis, laudes praedicabit. Tandem finem faciet, qui initium examinis fecerat

H. D. G. de WOLFERSDORF,

carmine Teutonico graphicē delineaturus grauissimam illam *obsidem*, qua vrbs Brabantia munitissima, *Bercizona*, adhuc oppugnata fuit, neque tamē expugnata. Adeste igitur, Patroni et Musarum Fautores summa obseruantia colendi, et labores cum docendo tuin discedo occupatos benignitate et fauore Veftro excitate, prouehite, subleuate. Dab. Freiberg. a. d. XIII. Cal. Octobr. A, R, G, M D CC XXXXVII,

Yb 627  
(1/80)



TA=0C





B.I.G.

RATIO  
LABORVM  
SCHOLASTICORVM  
IN GYMNASIO FREIBERGENSI  
AD HVC SVSCEPTORVM  
SVB IPSA AVSPICIA  
PVLICAE LVSTRATIONIS  
PATRONIS ET FAVTORIBVS  
EXPOSITA  
M. IO. GOTTLIEB BIDERMANNO  
RECT.

FREIBERGAE  
Litt. CHRISTOPH. MATTHAEI.

IV.